



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 66. Ximenii Cardinalis ingressus in urbem; ejus possessio capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

§. LXVI.

*Ximenii Cardinalis ingressus in urbem;
ejus possessio capta.*

*Gomez. l. c.
Marian. lib.
29. n. 79.
Ciacon. in
Jul. II.
p. 281.
Rayna'd.
n. 25. & 26.*

Ximenius Cardinalis accepto victoriæ nuncio, mox conscensa triremi ad urbem contendit, ut eam in fidem suam reciperet. Navi egredientem excepit Vianellus, peditibus duplici ordine dispositis, equitatu vero a porta usque ad arcem continuata serie locato, eumque prope urbis portam præstolabatur Petrus Navarrus, qui adventanti claves porrigebat, victoriamque ejus armis, auspiciisque reportatam gratulabatur. Post hæc Cardinalis civitatem ingressus festivo totius exercitus acclamationibus excipitur, arci vero appropinquans Gubernatorem obvium habuit, qui illius imperium eidem deferebat. Erat unus ex duobus illis Mauris, quorum consiliis & opera Ximenius urbis deditioem molitus erat, hos comitabantur trecenti Christiani dira olim servitute pressi, qui omnes Cardinalis pedibus affusi, monstratis vinculis eum liberatorem suum proclamabant. Hisce mirifice oblectatus Cardinalis, Gubernatorem apud se retinuit, alterum quoque Maurum, atque Judæum, quorum auxilium eidem adeo proficuum erat, accersiri jussit, eosque secum in Hispa-

Hispaniam reduxit. Demum capta ur-
 bis possessione, ac deprædicata tam Bel-
 liducum, quam militum fortitudine, cun-
 ctis nomine Regis grates rependit, cui
 Legatum misit, qui prosperum ei expedi-
 tionis eventum nunciaret. Postea pri-
 mas eo curas intendit, ut humatis ca-
 daveribus, quæ jamjam aerem inficere
 videbantur, urbem perpurgaret, atque in-
 fidelium delubra ritu sacro expiata Chri-
 stianorum more ornaret. Præprimis
 vero ipsemet augustius fanum, quod *Mo-
 scheam* appellant, sub invocatione B. V.
 Mariæ de Victoria consecravit ac Clerum,
 Monachos, & Xenodochia instituit, eis-
 que ad sustentationem prædia, redditus-
 que necnon ædes ad habitandum com-
 modas assignavit, qua liberalitate urbem
 magna incolarum frequentia auxit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1509.

§. LXVII.

*Ximenius conscensa navi in Hispaniam
 reversus.*

Rebus omnibus ita dispositis, Ximenius *Gomez ib.*
 Ferdinandum supremum urbis, Ora-
 niensisque ditionis Principem proclamari
 jussit, utramque tamen in spiritualibus
 Ecclesiæ Toletanæ subjectam esse voluit,
 eique pariter tam Regios census, quam pu-
 blicos redditus, ac omnia, quæcunque prio-
 ribus ditionis hujus Regibus obvenerant,

F 4 attri-